



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

§. 1. De secunda eadem Bulla, quæ eodem anno recipi potest.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

tutione incertorum, qua gratia semel habita, nihil refert Bullam conservare.

5. Secundo, potest quis ita argumentari contra Inscriptionem nominis in hunc modum. In Bulla Compositionis hodie necesse est, ut inscribatur nomen accipientis sub pena Compositionis gratiam non obtinendi, ut apparet ex verbis n. 2. recitatis; ergo sic erit bulla communis, & tamen supra §. 2. diximus ex Bardi in hac communi Bulla expediens id esse non necessarium.

Respondet simili modo, quo respondimus ad praecedens argumentum, non esse scilicet id mirum, quia in textu bullae communis non apparet, saltem manifeste in illa sententia P. Bardi verba, quae annullent concessionem, si non scribatur nomen, ut ibidem dicto §. 2. legisti. At vero apparet clare in Bulla Compositionis, ut jam item modo legisti n. 2. Atque hoc est secundum notabile discrimen inter has duas Bullas.

Cur autem hoc? Respondet, me putare, Pontifici satis fuisse, rationem honoris recipientis bullam habuisse, dum non requiritur, ut haec Bulla conservaretur; unde eadem non visum est necessarium concedere, seu permittere, ne inscriberetur nomen.

Respondet secundo. Rationem, cur hoc discrimen voluerit Pontifex, Pater Bardi afferre debet, non autem nos, qui citato §. 2. docuimus, scribendum esse nomen, etiam in Bulla communi.

CAPVT XVI.

Concessio Gregorii XIII. per quam bis Bulla sumi potest.

EA sic habet apud Gal. in cal. lib. claus. 11. & apud Trull. l. 1. de bull. §. 8.

Ac etiam, ut omnes Christi fideles, non tantum semel, sed bis, singulo quoque anno, servatis tenore, & forma praedictis, quibus eodem anno idem Summarium sumpservint, tam pro se, quam per modum suffragii, pro Animabus in Purgatorio detentis, indulgentis, Concessionibus, Gratiis, & indulgentiis praedictis uti & potius, & gaudere, ac dictorum bonorum spiritualium participes fieri valeant, in Domino misericorditer concedimus, & indulgemus.

§. Unicus. De secunda praedicta Bulla, qua eodem anno recipi potest.

Cum haec Bulla sit mera extensio ad solam iteratam receptionem (sed certe non ad tertiam) ideo omnia sunt pro illa servanda, quae diximus praecedentibus, nam propterea non sunt repetenda. Notanda tantummodo sunt duo.

2. Primo, hanc secundam bullam posse sumi simul cum prima, vel postea intra annum, quando liberit. Ita Gallegus claus. cit. it. Interviet autem illa, si pro toto anno, si initio accepisti, si pro solo tempore, quo sumpsisti, usque ad anni finem. Interviet, inquam, pro tribus Privilegiis. Puta primo, ut possit acquirere iterum Indulgentiam plenariam in vita, & iterum in morte, licet per primam bullam eam acquisieris. Secundo, ut obtineas iterum absolutionem ab iis reservatis, à quibus semel forte absolutus fuisti per primam bullam. Tertio, poteris iterum, seu bis, accipere eodem anno bullam pro defunctis, de qua c. seg. atque adeo bis applicare pro ipsis plenariam Indulgentiam.

3. Notandum secundo elemosynam pro hac secunda receptione bullae, conferri debere à privatis, duorum realium, ab insignibus vero personis, octo; Hoc est, praeter elemosynam dariam pro prima bulla, debet alia similis pro hac secunda porrigi, ut diximus c. 3. §. 7. n. 10.

Atque haec de bulla Vivorum, sequitur de Bulla pro Defunctis, quae qua Bulla Compositionis brevis, sed pro

praxi, ad quam semper intendimus, sufficiens explicatio.

CAPVT XVII.

De Bulla pro Defunctis.

1. IN Bulla Latina sic habetur.

Item, eadem Indulgentia (uicque enaria) suffragabitur per modum suffragii, animabus defunctorum, pro quibus in huiusmodi subsidium (nunc belli contra infideles) proficisci, vel milites mitti contigerit, aut pro quibus non euntes, nec in rebus, tamen elemosynas de bonis suis iuxta taxam per Commissarium, personarum qualitate inspecta, faciendam, pro Religionis defensione contulerint.

§. I. Explicatur illa (per modum suffragii.)

1. Quomodo si quis in carcere esset detentus ob debita, quibus premitur, duplici posset modo liberari, primo, si Princeps illum absolvet per sententiam, vel alio legitimo modo ab eisdem debitis; secundo, si amicus aliquis offerret creditoribus solutionem dictorum debitorum; quorum prior liberatio diceret haberi per absolutionem, posterior per modum auxilii, quod per absolutionem satisfactionis affertur ab amico; Ita anima, quae exilit in Purgatorio posset liberari, primo, si Deus, vel delegatus ab illo illam absolvet. Secundo, si quis per sua bona opera penalia offerret pro ipsa tantam satisfactionem, quanta sufficit ad debita dictae animae compensanda. Prior ex his modis vocetur absolutio, ut ita loquar, liberatio, seu condonatio, seu Indulgentia per modum suffragii, seu auxilii, ille enim, quia sua opera pro anima offert, auxilium affert animae.

2. Jam vero Summus Pontifex, cui dictum est, Quamvis solveris super terram, &c. concedit vivis per potestatem Judicariam, qua valet suos subditos absolvere, concedit, inquam, auctoritative Indulgentiam, & liberationem à poenis, quas illi debent: nam ex Thesoro Ecclesiae ipse, qui est eius administrator, & distributor satisfactionem tantam, auctoritate à Christo sibi communicata exhibet Deo, quantam debet Fidelis, cui Indulgentiam confert. At vero quia eidem Pontifici non sunt subditae animae Purgatorii, nec ab ipso legari, vel solvi auctoritative possunt, cum tamen possit idem per modum auxilii offerre Deo pro anima tantam satisfactionem, quantam ea anima debet, ad hoc enim non requiritur, quod anima sit illi subdita, ideo tunc dicitur, quod per modum suffragii, seu auxilii ejusmodi animas liberet. Unde videtur, non differre Indulgentiam Plenariam pro vivis ab Indulgentia Plenaria pro Defunctis; utraque enim animam liberat, solum pro vivis Pontifex, per Indulgentiam illam, remittit poenam juxta praedicta, ut administrator; pro Defunctis autem, ut auxilians. Haec tibi Minerva pro indoctioribus delibasse si liceat.

3. An autem utraque haec satisfactio à Pontifice oblata Deo acceptetur ab ipso de condigno, & ex iustitia, ut tenent tanquam probabilis Trull. in Bull. dub. 4. num. 6. alique apud Bardi p. 4. de Bullar. tr. 2. ap. 2. scilicet 4. an potius de congruo ex liberalitate, & misericordia, ut tanquam probabilis tenent Soto in 4. disp. 19. q. 2. artic. 4. alique, quos sequitur ibidem Bardi, quamque valde rationabile existimat Bellam. l. 1. de Indulg. cap. 14. n. 4. ut item, an Deus illam acceptet infallibiliter, ut tenere consequenter debent Tullench. alique eum sequentes; an vero fallibiliter ut tenent alii cum Soto, sunt quaestiones Theologiae videndae apud praedictos, & apud Suarez. 3. p. tom. 4. disp. 84.

§. II.